



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Conciones siue Conceptvs Theologici Ac Prædicabiles R.  
D. Petro Bessæi SS Theol. Doct. Reg. Galliar. Oratoris**

**Besse, Pierre de**

**Coloniae Agrippinae, A. M.DC.XXIX**

Feria VI. Post Domin[icam] II. Qvadragesimæ.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56232)

FERIA VI. POST DOMIN.  
II. QVADRAGESIMÆ.

Partitio.

1. Quod homo sit arbor.
2. De vinea, quid sit.
3. De cultura & partibus vineæ.
4. De Vinitoribus.

Homo erat Paterfamilias, qui plantauit vineam, & sepem circumdedit ei. Matt. 21.

FIGVRA.

1. Reg. 21.

**H**Abebat iustus ille & innocens Naboth, cui par in Israél, vix vnquã fuit, vineam quæ successione hæreditaria ad ipsum deuenerat: verum quam impius Rex Achab omni ratione totoq; conatu inuadere moliebatur: quod cum pro voto ei non succederet, fornicatrici Iezabel, quæ verus impietatis typus existit, opera eam in rem vsus est, quæ falsis testimonii miserum Naboth nefarie circumuentû, iussit trucidari. Idẽ ipsum sub vmbri insignis cuiusdam parabolæ in Euangelio nostro expressum videre videor. Cernas enim hic verum illum Naboth Christum Jesum, quo iustiorẽ innoctiorẽq; mundus non tulit, egregiæ & fecundæ vineæ, Ecclesiæ scilicet possessorem: quam nõ Achab, sed Satan inuadere satagit: quod tamẽ cum propriis viribus efficere non posset: adulterantem illam & fornicatẽ synagogam adhibuit, quæ iniquis testimoniis oppressum in monte Caluariæ, nefanda morte in cruce mori coegit. Hæc cõmunis & vulgatissima parabolæ est interpretatio: verum, vt nouũ quid & inauditum huic afferre possimus, Patetletti Spiritus opem, precibus sanctissimæ Virg. inclamemus.

AVE MARIA.

Cyrus Rex Magaum illum Persarum Regem Cyrum libet ex fructibus colligebat ex arboribus maximæ voluptatis loco habuisse ferunt, si fructus ex arboribus, quas suis ipse manibus consensisset & inseruisset colligere posset, Evangelica quoq; historia vnica Dei nostri de-

litias, & voluptates esse refert, fructus ex te- quas ipse neris illis arbusculis, animabus inquam ra- plantasset. tionalibus, quas per Baptifinaris Sacramen- Xenophon. in tum renatas in Ecclesia plantauit, productos Cyro. videre, & visos colligere. Ego posui vos vt eda- Ioan. 15. tis, & fructum afferatis. Quasi diceret, Ego vos, & Apostoli mei veluti impositos truncos, & steriles stipites è deserto mundi huius extraxos in fertile Ecclesiæ meæ solum traxi, vt istar sublimè nutantium cedrorum in altum exerescat, fructusq; deuotionis sanctificationis, ac prædicationis per totum mundum producat.

O Christiane: mutato nomine de te fabula narratur. Plantauit te nempe Deus in Ecclesia sua viridario, proprio rigauit sanguine, gratiarumq; suarũ celestium influxus in te vberissime & imbres immisit, verum vt fructum afferer. Aus dignos, & expectatos fecer, fructus inquam pœnitentiæ, fructus scilicet ieiunij, misericordiæ, id est elemosynarum. Audite obsecro vocem illam clamatis in deserto, facite fructus dignos pœnitentiæ: quasi diceret, Scribæ & Pharisei, ciues Ierosolymitani, vos scilicet steriles iuniperi, ac infrugiferæ pinus, in terra synagogæ plantatæ: appareat in vobis tãdem aliquando fructus. Præiuit mihi hic viam vates regius, qui cum de iustis loquitur, arbores eos appellare non dubitauit. Et erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo: & folium eius non defluet. Psal. 1.

Omnes quoque, quæ in paradiso terrestri creatæ erant arbores, fructus proferebãt: ac nulla penitus erat, quæ fructu careret: produxitq; Dominus Deus de humo omne lignum pulchrum visu, & ad vescendum suauis, quod etiam ex eo patet, quod Deus Adã locutus dixit, De omniligno paradisi comedes: vnde colligi pot, omnes frugiferas ac feraces fuisse. E quo euidetẽ apparet, iam inde à mudi exordio Deum nullis infrugiferis arborib. nullũq; producẽtibus fructũ delectari: ita vero fructib. capi nullã vnquam in agris suis sterilẽ arborem crescere fuerit, sed exstirpari quamprimum iusserit: aperte testatur, Omnis arbor, qua non facit fructũ bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Quibus verbis dicere voluit: Nunquam Ecclesiæ meæ agrũ ab infrugiferis & st. rili- Tr. 2 bus

bus plantis sinam occupari: omnes eas, quæ fructum nullum produxerint, omnes illos peccatores veluti fomētum & pabulū flammæ infernalis, mors excindet, & depascet.

Luc. 13.

An non meministis grauissimam illius maledictionis, quæ in ficuinam illam sterilem prolata est? Venit pater familias querens fructū in illa, & non inuenio, & dixit ad cultorē vineæ: Ecce anni tres sunt, ex quo venio querens fructus in ficulina hac, & non inueni, succido ergo illam, & tū quid enim terram occupat? Quid ad hæc peccator, mala inquam arbor, planta inutilis, ficulina infrugifera, quid ad hæc obicitis? Tres tantum effluxerant anni ex quo misera hæc ficulina fructum non tulit, & ecce patrem familias a deo indignatū, vt eam iusserit succidit & viginti forsitan, ne dicam triginta, & quod excurrit, anni elapsi sunt ex quo nullus penitentiæ fructus in te natus est? Quid igitur tandem benignissimum illum Deum, qui tāto te tempore tam longanimitate expectauit, facturum tecum existimas?

Dan. 4.

Vidit olim Nabuchodonosor Babilonis Rex, somnians arborem in medio orbis constitam, cuius tāta magnitudo & vastitas fuit, vt cælū verticē suo contingeret, & radice ad profundissimas vsq; terræ abyssos penetraret, rami vero ab vno ad alterum polum pertingerēt: cuius folia pulcherrima, ac fructus inuendissimi erant, & in qua volucres cæli nidificarent, & sub qua multa animalium genera comorabantur. Videbam & ecce arbor in medio terra, & altitudo eius nimia, folia eius pulcherrima, & fructus eius nimius, & esia vniuersorum in ea, subter eam habitabant animalia, & bestia, & in ramis eius conuersabantur volucres cæli, & ex ea vescebatur omnis caro. O arbore longe pulcherrimā, fructib. refertā, cum omnes bestia sub ea pascantur: Ecquid huic vero tādem euenturū putatis? Cū illā igitur Rex attentius cōtemplaretur, ecce vox de cælo venit, clamās: succidite arbore, pracidite ramos eius, excutite folia & dispergite fructus eius. Eheu? quam obrem patula arbor hæc ita succiditur quare excinditur? Cū tamē fructus vberri mos produxerit, sed fructus in vsum animalium destinatos: non erat enim fructus Deo gratus, sed bestias, Ex ea vescebatur omnis caro. Deus namque fructus bonos, eosq; spirituales requirit.

Vocauit olim ad se Ezechielē em Dets, vocatumq; ad regē Juda ciuesq; Ierusalem destinauit, hoc vt is ænigma proponeret: Aquila grandis magnarū alarum, plena plumis & varietate venit ad Libanum, & tulit medullā cedri, summam atem sionem eius assumpsit, & transportauit eam in terram Chanaan. Quid his verborum inuolucris, quid hisce ænigmaticis & tropicis propositionibus denotas Domine, quas populo tuo in Iudæa per Prophetam vis proponi? Per aquilam, Auditores, designabat Deus Regē Nabuchodonosor, & per Libanum, ciuitatem Ierolymorum. O inuolucrum mysterium! Mons Libani excelissimus est, cædis vndiq; procerissimis visq; iucundissimis, sed fructu penitus carentibus, confusus. Vnde significare conabatur Deus Ierolymitanam ciuitatem monti huic esse quam similitam, a difficis siueq; pulcherrimam, sed instar Libani, cædis infrugiferis, licet procerissimis, refertā: cum Rex, & Principes ac ciuitatis Optimates nullū, qui Deo gratus foret, fructum profertent: quos ideo in manum Nabuchodonosor Regis euellendos & destruendos traderet.

Ierusalem Libano comparatur.

Anne igitur nobis figuræ defunt ad demonstrandum, quātum Deus animas multis bonorum operum fructibus ornatas, cōplectitur: cōtra vero quātum sterile detestatur? Est hoc subiectū parabola hodierna, Evangeliiq; nostri sensus: in quo Dominus ænigmatice de Ecclesiæ suæ vinea aduersus Iudæos, qui instar arborū infrugiferarum nullos fructus proferebant, agens, tandem interminans infert: Aufe eum à vobis regnum, & dabitur genti facienti fructus eius. De vinea primo loquendum est, ac deinde ad vitatores, quorū cura ea demandata est descendemus.

Quod ad primū igitur spectat, omnes Ecclesiæ Patres & Doctores, qui parabolę huius vniquam meminere, & vineam hanc ingressi fuere, singula diligentius considerantes, oculosq; modo in sepem circumseptentem, modo in torcular, quod in medio eius conspicitur, modo in turrim, quæ eam cōmunit, conicientes, diuersis eam rebus accommodarunt. Athanasius igitur in primis cum rem attentius perpēdisset, per vineam mundum intellexit: per turrim, fidē: per vitatores, Iudæos per

Athenag. 48. Lib. allegor.

Wolica vi-  
rabius  
cualio.

per seruos, Prophetas. S. Isidorus Hispalen-  
sis aliud commentus est, atq; a communi ex-  
plicandi ratione recessit longius: ait enim  
per vineam, Jerusalem: per torcular, tem-  
plum: per turrim, altare: per sepem, legem:  
& per filium, Messiam denotari.

O egregias & doctas commentationes!  
alias vobis adhuc insinuabo. Quis neget per  
vineam hanc, Religionem & Monasteria de-  
signari: in quibus regula constitutionesq; in-  
strat sepis sunt: humilitas, turris instar: reli-  
giosi, vinitorū: ipsa deniq; orationes, morti-  
ficationes, austeritates, mundi; cōtemptus,  
fructuum nomine appellari possunt. An non  
etiam sub innolucris huiusce parabolicis intel-  
ligi queant sacrosanctus Senatus: & tribuna-  
lia Iustitia? Sunt sane illa instar vinearum a  
Deo hoc in mundo consarum, quas vndiq;  
legibus, edictis, decretis, constitutionibus,  
consuetudinibusq; velut sepibus circūsepit.  
Torcular earum esse propriam vniuscuiusq;  
conscientiam: turrim & arcem, iustitiā: cul-  
tores earum Consiliarios, Senatores, Iudices  
& Præsides: seruos qui ad easdē colēdas missi  
sunt, necessitates, clamores ac populi que-  
las esse, fructus vero, litū determinationes,  
oppressorum defensionem, orphanorum tu-  
relam, delictorumq; admissorum castigatio-  
nem dici posse. O vineam incomparabilem!

Quid si & tu, o anima, vinea dicereris im-  
mito quidem. Plantauit te namq; Deus, crea-  
uit scilicet, in hoc corpore gratiarū suarum  
imbriē in te immisit, crux eius tibi velut ful-  
crum & sustentaculum est, sepes ipsi sunt An-  
geli, nam *Angelus suus Deum mandauit dōre.*  
Torcular, ipsa est charitas: turris fides, & qui-  
dem fortissima. *Hac est enim qua vincit mun-  
dum fides nostra.* turris inquam, cuius funda-  
mentum ad inferos vsq; pertingit, cum infe-  
rorū poenae suppliciaq; credentibus timorem  
incutiant: turris etiam altissima, quae in cae-  
lum vsq; gloriae cōsequendae spe ingreditur:  
tot sanctis, quot virtutes possidet, circum-  
vndique decorata. Serui, qui ad te missi sunt,  
ipsa sanctae inspirationes, exhortationes, fra-  
ternae correptiones, omnes cōsilio oriundae,  
dici possunt. Fructus vero quos te proferte o-  
por et, ipsa sunt opera pietatis & charitatis,  
o vineam iucundissimam.

O nefanda & execranda haeresis, an non & Vineam quo-  
te vineam appellare audebimus: nō quidem que sed im-  
Dei, sed Diaboli manu plantaram? euncta nā proba, ipsa  
que ex errorib. fallitibus, imposturis, men- est haeresis.  
daciis, & blasphemis circumseptra. Torcular  
tuum, perpetua cōscientiae tortura & assiduus  
interius cruciatus: arx tua ipsa est superbia:  
cultores habes Lutheros, Zuinglios, Calui-  
nos, diabolos simul & verbis reformati mini-  
stros: serui qui ad te missi sunt, Episcopi, Do-  
ctores & pastores, quibus credere noluit:  
fructus vero quos profert, sunt altarium de-  
molitio, campanilium destructio, in Deum  
blasphemiae, omnium sacrorum locorum  
profanatio, animorum exitium, regnorum e-  
uersiones, ac turbae per orbem terrarum con-  
citate. De te, o infernalis vinea Moysen Pro-  
phetam locutum existimo, cum ait, *Vna eo-  
rum, vna felix, & botri amarissimi: vinum eo-  
rum fel draconum, & venenum insanabile.*

Ve, ū hae haec hactenus, & quidem extra pro-  
positū. Vineam igitur hanc quam Pater ille fa-  
milias plantauit, Ecclesia Catholica est. testē  
& vadem habeo Esaiam, *Vinea Domini exerci-  
tuum domus Israel est, & vir iuda germen eius  
delectabile.* Quot poro saeculis vinea hanc pla-  
tata fuit? ante tempora scilicet Dauidis, Moy-  
sis, Abraham, Noë, ante dies Abelis, deniq;  
antequam Adam formaretur, imo cum ipsis  
Angelis cōpit existere. Et sane si Ecclesia ni-  
hil aliud est, quam omnium Christi fidelium,  
sub vno capite & dace Jesu Christo cōuersus  
& congregatio: & constet Angelos ipsos fide  
olim habuisse, nō est mihi credite, dubitan-  
dum, quin Ecclesia ab Angelis exordiū sum-  
plerit, & ante homines natos florere & vigere  
cōperit. Verum si Ecclesiam pro credentium  
& vero Deo immolantium cōgregatione &  
vniōne accipiamus, cōstat eam nō nisi ab A-  
bel, qui primus Deo victimas mactauit, pri-  
mus sacrificiū obrulit, & primus Ecclesiae &  
mūdi martyr exstitit, duxisse principiū. Atq;  
haec cōmunis sanctorum Patrum opinio est,  
& vulgata parabola: huius explicatio. *Homo  
erat Paterfamilias, qui plantauit vineam est Pa-  
ter ille familias, Deus, est, patet inquam fa-  
milias, quia Angelos & omnes omnino mor-  
tales domesticos habet. ille Vineam planta-  
uit, Ecclesiam, id est, Quando vero: ab ipso  
mundi*

Deut. 12.

Ecclesia  
Catholica  
proprie lo-  
quēdo hae-  
vine est.  
Esai. 5.

A tempori-  
bus & crea-  
tione An-  
gelorum  
Ecclesia  
cōpit.

1.28.

mundi primordio, iam ab ipso Abele, & ipse fundavit eam altissimus, Deus scilicet eius auctor est, eius fundator est, ac plantator: à toto sc. recto sæculis, Ecclesiæ hæc vinea existit.

3. Reg. 21.

Hæc namq; est vinea illa Naboth, quam Achab tanto tempore inuadere conatus est: vinea inquam Christi Iesu, quã Satan toties concupiuit, ita vt Christus eius causa vitam amittere fuerit coactus. Hæc est vinea illa Noe, quæ vuis suis plantatam inebriauit. Vt vero hoc per transfennam insinuem, quod in Genesi legitur, Noe primũ vineæ repertorem existisse, non ita intelligendũ est quasi nullæ ante eũ in orbe vites existierint: sed forsita, quod eas incultas & neglectas colere incepit, vel dissipatas in vnum locum cõgregarit: atq; adeo vineæ repertoris nomen inuenerit: cuius occasione sacre littere addũt, Noe vite plantata à vino inebriatum fuisse, ac tum nuditate eius detecta à filiis ludibrio habitum.

Psal. 19.

Verus hic Noe, Christus fuit, qui post peccati originalis diluuium, primus in Ecclesia vineam plantauit: nõ quod Ecclesia ante diluuium non existierit, verum quod eam incultam & desertã quodammodo, neue adeo late patentem, angustiis Iudææ sinibus circũscriptam, & terminis synagogæ contentam, in aduertu suo ab vno polo vsque ad alterum extēderit. *in omnem enim terram exiuit sonus eorum.* Hacigitur ratione cum vineam plantasse diximus, ac tum Noe accidit, vt vinea Ecclesiæ suæ plantata, vino amoris quo eam prosequeretur, in passione fuerit inebriatus: ac præ labore, quem in ea fossa circummuniendo insumpserat, defatigatus, in somnum incidit, idque in monte Caluarie: nuditatemq; suam, humilitatem ac paupertatem in cruce detexerit ac demonstrarit. Vnde factũ est, vt Iudæi filii primogeniti ac dilectissimi eũ subsannarint. *Omnes videntes me deriserunt me, & factus sum opprobrium hominum, & abiecio plebi.*

Psal. 21.

Gen. 40.

Hæc sc. vinea est quæ tres propagines habebat, quæ pincerne Regis Pharaonis in somnis vidit, *Videbam coram me vitem, in qua tres erant propagines, crescere paulatim in gemmas, & post flores, vuis maturescere.* Habet nimirum Angelos in cœlo, animas in purgatorio, ac nos peregrinos & viatores in Ecclesia mi-

litate. O vere insignes propagines! ò vineam vberem & feracem! vineam inquam, quæ Deus Irrigatio-  
tã diuersis rationibus: modo pluias in eam, vinea quæ modo calorem immittendo, superflua resecando, excoluit. Et sane immisit toties in eam pluias, & quadraginta dierum spatio diluuij quis eam rigauit. Vberem profecto rigationem. Sed non minus ardua tum fuit, cum nimirum omnia eius septa destructa sunt, & octo tantum abimæ per aquas feruata, quæ deinde post diluuium hanc iterum propagarunt.

Exod. 17.  
3. Reg. 18.

Fuit & irrigata in deserto Sinai, quando aqua ad Moïsi imperium à petra durissima profuxerunt. *Percutiesq; petram, & exibit ex ea aqua, vt bibat populus.* Rigauit eam deinde Elias, copiosam pluiam immittendo, cum scilicet triennio & amplius præ continuis caloribus & aestibus arefacta pœne exaruerat: *Ecce cœli contenebrati sunt, & nubes & ventus, & facta est pluuia grandis.* Fuit & amplius ò pinea, ac multo quidem præclarior vtiliusq; irrigata sacra illa vnda Baptismatis: verum felicitus adhuc pretioso Christi sanguine, quem ille ad te irrigandum vberissime in crucis arbore effudit, ita vt tum vere completum illud Prophetæ dicere liceat, *Fluminis impetus lausificat ciuitatem Dei.*

Psal. 47.

Verum præter abundantem illam irrigationem aquasq; quæ in eam immittebantur, calores & aestus in primis necessarii erant, vt vna maturescerent: quos adeo quidẽ vehementes Samariæ incolæ experti sunt, vt multi trium annorũ spatio, præ calore & siccitate interierint, quin & adeo æstuantes eosin Genesi legitur, vt Pentapolis calore & igne fuerit consumpta: adeo grades quoq; & immesos, vt omnia in terra erant lapides, imo aqua ipsa, ad Eliæ preces deflagravit. Deniq; ipse Christus, cum in hanc vineam venisset ac crudelitatem vuarum animaduertisset, quo citius multo maturescerent, ignem secum detulit. *Ego veni ignem mittere: & quid volo nisi vt ardeat?*

Gen. 19.

3. Reg. 18.

Matth. 12.

Deinde vero post calores & pluias, adiungit & putationem, resecat eam, amputat, ac noxia & superflua demit: quod negotium primo ipsi Angelis cõmisit. Ecce enim Angelũ vna nocte, miserabili amputatione omnes Ægyptiorum primogenitos resecantẽ: ecce & alium

Exod. 12.

& alium in castris Sennacherib Regis Assyriorum vno tempore centum octoginta hominum millia diuinæ iustitiæ gladio excidentem. Quam tamen vehementem nimis incisionem, Angelis demandatam; reuocauit, & homines adhibere maluit, qui molliorem multo & leuiorem, Circumcisionem scilicet ad vsque Messia: aduentum permansit.

Quot igitur laboribus excolta es o vinea! non restabat aliud, nisi vt ex vno loco in aliū transplantaretis: quod toties sane tibi factū, quæ tot diuersa sola & fundos habuisti, ac tam variis in terris fuisti cōstita. Primo namq; in paradiso terrestri plantata es. Hem quam ferax & fertile solum! inde in terram hanc miseram translata, o sterilem fundum! Traduxit te mox Abraham de Vr Chaldaeorum, inque terram Chanaan transfulit: Ioseph te in Ægyptum tulit. Moses vero videns te pessimo tunc loco sitam, in desertum migrare facit: vnde regius Psalter: *Vineam de Ægypto transfulisti.* Cum ad quadraginta propemodum annos in deserta illa & inaquosa solitudine hæsisset, in qua te Caleb & Iosue videbant arefcere, in terram promissionis te traduxerunt: in qua cum multis annorum millibus feliciter propagata esses & fructum vberimum protulisses: ipse paterfamilias Christus, ac vinea Dominus, noua quadam ratione, in Gentili solo totam transplantauit, in quo tanta tua felicitas & augmentum fuit, vt quamprimum per ipsum terrarum orbem propagines & genimina extenderis.

Angeli sunt Ecclesie sepes.

Psal. 90.

Isa. 62.

Verum, vt profundius adhuc hanc vineam ingrediamur, dico eam valida & spissa sepe, id est, custodia & protectione Angelorum, esse circumseptam. Quidni? Si enim Cherubini paradysum custodierint, si cœlicæ intelligentiæ cœlestes orbes ipsorumq; modum moderentur & conseruent: quid obstat quo minus Ecclesiam ab Angelis protegi dicamus? sequamur in hoc vatem regium, eiusq; verba huc trahamus: *Angelus suus Deus mandauit de te, ut custodiât te in omnib. viis tuis.* Scio quidē hoc de animarū protectione vulgò intelligi, quas Angeli custodiunt & protegunt: at non video, quo minus hoc & de Ecclesie defensione intelligatur? Suffragatur hic mihi & Isaïas: *Super muros tuos Ierusalem constitui*

*custodes, tota die & tota nocte non tacebunt. Quin & ipse Deus huius vineæ custodem agit: Dominus in circuitu populi sui. & alio loco: Nisi Dominus custodieris civitatem frustra vigilat, qui custodit eam. per hanc civitatem vinea & per verumque Ecclesia intelligenda.*

Ecce tibi præcipuum vineæ vallum, ac primam custodiam: sunt autem & alia munita, quæ eam protegant & ab incurso hostili tueantur. Ipsa scilicet Sanctorum preces & intercessio, an non sepes & murus validissimus dicenda sunt? An non Iudas ille Machabæus Israelitarū dux & decus; per omnes terræ angulos bellica laude ac rerum bene gestarum gloria nobilis, Prophetam Ieremiam, ac Summum Pontificem Oniam, extensis manibus Deo pro sancta ciuitate Ierusalem & omni Iudæorum populo supplicantes, eumq; velut sub alis protegentes, & custodientes vidit? Quin & ipsa doctrina scientiaq; Doctorum vineæ huic loco sepis est: lupos enim arceret, vulpes excludit, atque alia noxia animalia prohibet, ne eam ingressa destruant ac demoliantur: quænam scriptorum, & librorum sepes, quinquam disputationum, prædicationum, Catechismorum murus & vallum hanc vineam ambit? At omnium fortissima sepes ipsa Conciliorum auctoritas dicenda est: hæc enim semper hæretici ea exclusi sunt: hæc eos hætenus semper prohibere ne Ecclesie septa transilientes eam misere inuaderent, & destruerent.

Explicatur vinea huius sepi mentū.

2. Mach. 15.

Conciliorū auctoritas Ecclesie instar sepis sunt.

Ecce, vix Ariana illa rabies, quam vere lupinam dicere possumus, per agros Ecclesie grassari cœpit: quin ecce Conciliū Nicenum septem ex tot Episcopis & sanctis Patrib. cōstituit Macedoniani vineam hanc parant inuadere. Ecce tibi Constantinopoli statim indictum Concilium, velut murum circumiectum & oppositum: succedunt his Nestoriani: & ecce magnum illud Ephesinum Concilium sese opponit. Eutychniani vineam nostram demoliri satagunt: at septem ex Episcopis varijs cōfectam, qui Chalcedonem tamquam ad sacram aliquam expeditionem suscipiendā confluxerant, inueniunt, quæ aditum prohibeat. Quin & parentum memoria, cum Lutherani, Zuingliani, Caluinistæ, instar efferalescentium leporum, ex latebris hære-

hæreseos emergerent, & Germaniam ac miseram nostram Galliam vastare gestirent: an non etiam statim Concilium Trideti indici vidimus, ad quod ex omnibus mundi partibus doctissimi quique, cum Episcopi & Præsules, cum Doctores & magna auctoritatis viri, velut ad sacram quandam panegyrem, vthericorum rabiem profliberent cõfluxerunt? quantam ergo Domine curam vineæ tuæ dilectissimæ geris? verum nondum hic tua diligentia & sollicitudo finem accipit.

**Quid turris** Video hic quin etiam turrin, arcem, ac veluti propugnaculum, quid porro his omnibus in vinea cõ-structa de-  
**notet.** innui putamus: Auditores? Quid si turrin hanc Pontificiam dignitatem & auctoritatem esse dixerō? nescio tamen an creditur sitis: erit forsitan ipsa sacerdotalis, in verum & mysticum Christi corpus potestas qua nihil in Ecclesia sublimius aut maius inueniri potest, turrin dico; quæ Angelorum dignitatē potestatemque Seraphinorum multis interuallis antecedit. Quid si hanc turrin, ipsam Ecclesiæ Iurisdictionem interpretatus fuerō? quæ altissima fortissimaque est, à qua hinc censturæ & interdictiones, inde vero indulgentiæ gratiæ proficiscuntur. Omnia hæc & quidem apposite dici possent: verū cum attentius turrin hanc specto, sacram Scripturam esse, non possum quin asseram: quæ nimirum turris est, Dauidicæ illi non absumilis, è qua mille clypei pendent: turris cum propugnaculis ædificata. Scriptura igitur Ecclesiæ armentarium est è quo dum tempus est, arma, machinæ bellicæ, & bombardæ maiores, ad hæreses oppugnandas, expugnandasque, ad Iudæorum perfidiam retundendam, ad tentationes deniq; superandas, proferuntur. Quin & Dominus nolter Christus non aliunde arma ad Principem tenebrarum prosternendum arcessiuit, quam ex sacra Scriptura: *Non in solo pane viuit homo, contra gulam: Non tentabis Dominum Deum tuum, aduersus superbiam.*

**Turris hæc** Restat adhuc torcular quod vbi inuenerimus, nihil amplius restare puto. Quid igitur nobis ò præclarū torcular denotas? ausimne dicere martyrium & supplicia esse, quibus gloriosus ille martyrū sanguis expressus est: an vero ipsam poenitentiam quæ vere admi-

*Cant. 4.*

*Matt. 4.*

**Torcular Ecclesiæ.**

rabile torcular est, vbi sub attritione & contritione, veluti sub duobus molaribus, aut tabulis, peccata conuertuntur & inter se colliduntur, maxime vbi & iucundissimus ille chrymarum riuulus accesserit? Verum hæud penitus errauero, si Crucem Christi torcular hoc esse affirmauero: ita namque eam ipse olim vocauit: *Torcular calcæsi solus.* Ipsa namque est torcular illud regium, quod in mōre Caluatiæ, in quo Redemptor ita expressus fuit, vt pretiosus sanguis eius copiose vadiq; effluerit, constitutum fuit.

O pater familias benignissime, quid amplius debuisti vineæ tuæ facere, & non fecisti? Tot Episcopi, tot Doctores, tot Prædicatores in hac pro munimento constituti sunt: tot sacerdotes in sacrificij torculari, tot Papæ, tot Pontifices, Cardinales in turri eius positi. *Quid igitur debui ultra facere vineæ meæ? Non Isai, feci.* O vere igitur turrin admirabilem, ò vineam pulcherrimam, ornatissimam, & omnium aliarum vinearum fortissimam!

Iam tempus est auditores, vt ad alteram IV. concionis partem accingamur. Vineæ igitur Prophetae tam valide communita, magnus paterfamilias locauit eā agricolis & vinitoribus: summis inquam Sacerdotibus Leuitis, Scribis quoque & Phariseis in veteri Testamento: Pontificibus pastoribus & Episcopis in nouo. Ad Iudæos tria seruorum genera missa sunt, ad fructus vineæ huius repetendos primi, sc. temporibus Iudicum, & hi fuere Prophetae; secundi Samuelis & Regum tempore, & hi quoq; Prophetae, at plures longe quam prius: postremi fuere post transmigrationem Babylonicam, & hi quoq; Prophetae fuere, ac numero prioribus superiores. Verum ò crudelitatem inauditam, & ingratitude inincomparabilem! impij illi agricolæ omnes hos seruos, quos ad illos vineæ dominus destinauerat, interfecerunt: *Occiderunt* nēpe Prophetas: Isaiam serra lignea secuere medium: Amos lapidarunt: Michæa alapas impegerunt, ac carceri manciparunt: Ieremiam in puteū demerserunt: Ioanni Baptistæ caput præciderunt, Iesum Christū deniq; filium familias, hæredem vineæ: cruci affixerunt. O inhumanitatem admirandam! quæ in nouo quoq; testamento, hæud multo minor fuit. Misit naq; pater-

paterfamilias & alios seruos, quales Aposto-  
li, qui omnes martyrio affecti sunt: nisi Do-  
ctores & præcones Evangelicos infinitos,  
qui omnes aut neci traditi, aut ludibrio ha-  
biti, & nefarios & sacrilegos agricolast & in-  
gratos cultores!

Hinc anima duettas oportet heretice, cum  
de vinea iam sermo incidit, strenui & seduli  
agricolæ, qui vineam conductitiam possidet,  
non esse eandem destruere & demoliri, aut  
nouas turres & propugnacula constituere:  
alia torcularia imponere, sepes eas noua qua-  
dam ratione flectere, atq; ex hac vinea alias  
vvas condere, quem admodum te tuique si-  
miles facere videmus: qui nouam Ecclesiam  
creditis nouas disciplinæ ceremoniarumq;  
interpretationes fingitis, noua Sacramenta  
erogatis & cõmunicimini. Mihi credite,  
nihil hic immutandũ, at prima illa vinea ex-  
colenda est, sacre scripturæ sensus, quem SS.  
Patres proposuerunt, retinendus, traditiones  
Ecclesiæ seruandæ, eiusq; institutum præce-  
ptaq; sine vlla deprauatione custodienda.

Fructus,  
quos Deus  
a vinea cõ-  
doctoribus  
exigit.

Verum ò Christiani quid statis hic tota  
die otiosi? quid agetis in vinea Domini? ecce  
paterfamilias fructus in ea exigit: fructus in-  
quam misericordiæ, elemosynas quas in  
pauperes & inopes profundatis, exigit cul-  
tum patriæ, fidem, & reuerentiam erga vena-  
bile Eucharistiæ Sacramentum: fructum  
patientiæ in afflictionibus, fructum obe-  
dientiæ erga Ecclesiæ Præfules. Fructus præ-  
dicationis requirit ab Episcopis & vt in dicitur  
celesi sua commoreatur: pacis deniq; fructũ à  
Christianis Principibus. Quos fructus si non  
proferamus: timendum est, ne iratus vineam  
nobis auferat. *Et auferetur à vobis regnum, &  
dabitur genti facienti fructum eius.* Ecce produ-  
cam exempla. Abstulit vineam hanc ab Asia;  
quam S. Ioannes tanta pietate & salutaribus  
instituitis excolerat: abstulit ab Africa, in  
quã Augustinus tot miracula patrarat, abstu-  
lit deniq; ab Anglia; quæ tot viros tũ sancti-  
tate tum doctrina scientiaque eximios pro-  
geniuit.

Quæ cum ita sint Auditores, vitam oble-  
cro vestram corrigite, ac fructus dignos bo-  
notũ operum proferre. *Auferetur alioquin à  
vobis vinea hæc, & dabitur genti facienti fructus*  
Tom. I. Bessai Quadrage.

eius. Conculerat Sauli regnum Deus, quo-  
cum se indignum redderet: id auferes in Da-  
uidem transtulit. Elegerat quoq; Ieroboam,  
vt decem tribubus præflet, cui beneficio cũ  
vita nequaquam responderet, tanto eum de-  
iecit humilius, quanto eum prius eleuauerat  
sublimius Sodomam in terra fertili & feraci  
condiderat, *erat enim terra illa sicut paradysus, Gen. 17.*  
quæ cum dignos non produceret fructus,  
eam perdidit & incendio deleuit. Decem po-  
pulos regionibus & vrbibus spoliavit, & Is-  
raelitis tributum pendere coegit: eo quod  
fructus bonos nequaquam proferrent, vnde  
Psalmista: *Dedit illis regiones gentium, & labores  
populorum possiderunt. faciamus igitur in hac  
vinea fructus, sedulo in eadem elaboremus,  
ac fructus pœnitentiæ dignos producamus.*

Teq; ò paterfamilias, qui nos magno sane  
nostro commodo in hac vinea constituisti,  
qui nos à primis natiuitatis initijs, Angelorũ  
custodia veluci sede circumsepisti, qui nos  
deindè semper sub excelsæ & inexpugnabi-  
lis dignitatis Pontificiæ turris munimine  
protexisti, qui nobis quotidie pretiosum re-  
galis tui sanguinis vinum magno impetu in  
crucis torculari expressum propinas, denique  
qui nunquam Ecclesiæ tuæ vineam excolere  
desinis, nobisq; omnia quæ ad laborandum  
in ea necessaria sunt, abunde suppeditas, sup-  
plices deprecamur, hanc vt nobis gratiam  
concedas, vt cum toto huius vitæ tempore in  
hac vinea laborauerimus, fructus dignos  
pœnitentiæ, bonorumque operum profera-  
mus, tibi que gratum hac in vita obsequium  
exhibeamus, quo in altera deinde gloriam  
tuam contemplari mereamur. Amen.

### SABBATO POST DOMINI- CAM II. QVADRAG.

#### Partitio.

1. De prodiga voluptate.
2. De filio prodigo.
3. De luxuria, & dissipatione.
4. De regione longinqua.

Homo quidã habuit duos filios: & dixit ad o-  
lescentior ex illis patri: Pater, da mihi por-  
tionẽ substantiæ quæ me contingit. L. 15.

Vu

FIGV.